

CAPUT XXIX.

Episcopus Missam privatam celebraturus, ex ipso altari sumit paramenta. Quæ, et ubi præparanda a Capellanis pro ipsius Missæ celebratione. Utatur paramentis coloris tempori congruentis. Munia Capellanorum in eadem Missa. Pacis osculum cum instrumento, per primum ex Capellanis deferatur Cardinali, Prælato, aut Principi, hujusmodi Missam audienti. Liber Evangelii, quo Episcopus in celebratione Missæ utitur, nemini osculandus deferatur, sed alius Evangelii liber. Quoties Episcopus in hac Missa lavet manus. Paramenta deponenda ante altare.

1. Cum Episcopus celebrabit Missam, convenit, ut paramenta Missæ non de sacristia, sed ex ipso altari, in quo celebrabit, ordine disposita accipiat, postquam, alio ejus familiari ministrante, laverit manus.

2. Calix igitur, Missale, et alia necessaria prout in Rubricis Missalis Romani, et Canone Pontificali, prius per aliquem ejus Capellanum, partim super ipso altari, partim super aliqua mensula præparabuntur. Ideo valde conveniens esset, ut duos saltem Capellanos, cottis mundis indutos, apud se ministrantes haberet, qui ea omnia disponere sciant et possint.

3. Paramentis in Missa utetur coloris congruentis tempori et festis, illis tantum, quæ in Rubricis Missalis, pro Prælatis expressa sunt, et non aliis indumentis Pontificalibus, præter crucem pectoralem et anulum.

4. Altare quoque, in quo celebraturus est, sit mundis tobaleis, et pallio condecenti ornatum, pro qualitate temporum et festorum. Nam in festis solemnibus decet in eo apponi quatuor candelabra cum candelis accensis, et in eorum medio erit crux argentea, vel ex alia materia: in aliis festis non ita solemnioribus et feriis, sufficiunt duo candelabra.

5. Præfati duo Capellani servient ei in Missa, in respondendo, in transferendo librum ab uno latere altaris ad aliud, cooperiendo et discooperiendo calicem, cum opus fuerit, in porrigendo mantili, cum lavat manus, in ministrando ampullas, et in cæteris omnibus faciendis usque ad finem Missæ necessariis.

6. Si erunt tres Capellani, poterunt duo ex his, dum elevatur SS. Sacramentum, post Episcopum celebrantem, genuflexi a lateribus sustinere duos cereos majores accensos, tertius vero Episcopo assistere; et cum opus erit, tintinnabulum tangere; videlicet, ter dum elevatur hostia, et toties dum elevatur sanguis, et non ultra.

7. Si vero non adsint tres Capellani, poterunt ad cereos supplere duo scutiferi, aut alii familiares, arbitrio Episcopi, decenter vestiti; sed, et si copia non esset eorum, qui sustinerent dictos cereos, poterunt iidem positi super duobus candelabris magnis accendi, dum elevatur Corpus et Sanguis Domini, et post Communionem extingui.

8. Si forte intersit aliquis Prælatus, Cardinalis, aut Princeps hujusmodi Missæ, primus ex dictis Capellanis, postquam Episcopus celebrans dixerit *Agnus Dei, etc.*, accepto instrumento pacis argenteo, cum velo appenso, genuflexus a dextero latere Episcopi, illud ipsi Episcopo offeret osculandum, cui Episcopus dicit *Pax tecum*, et ille respondet *Et cum spiritu tuo*; deinde idem instrumentum cum pace portat osculandum Prælato uni, vel pluribus, aut Principibus præsentibus; dicens unicuique *Pax tecum*, qui respondent *Et cum spiritu tuo*. Sed advertat, ut nullatenus genuflectat, nec se inclinet, nec ullum reverentiæ signum faciat alicui ex dictis Prælatis, aut Principibus; antequam dictam imaginem eis porrexerit osculandam, sed tantum post illam osculatam; quia ante non habetur consideratio ipsius ministri deferentis, sed pacis, quæ a sacrificio Altaris ad illum defertur; post vero datam pacem, convenit, ministrum, pro qualitate Prælati, aut Principis, reverentiam facere genuflexum, vel inclinatum.

9. Liber Evangelii, celebrante Episcopo, nulli, etiam magno Principi, aut Prælato, Missæ præsentī, datur osculandus, post lectum Evangelium; sed si adesset aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui liber Evangelii osculandus, porrigendus esset, non utique liber Evangelii, quo utitur Episcopus, sed alius liber consimilis illi porrigatur.

10. Episcopus manus bis lavat in hujusmodi Missa; videlicet, post Offertorium, et post Communionem; et semper in lotionē, familiaris aliquis ministrat aquam et pelvim; Capellani vero mantile.

11. In fine Missæ Episcopus celebrans dabit benedictionem, more Episcopali dicens: *Sit nomen Domini benedictum, etc.*, sed non utitur in ea baculo, nec mitra, nec cruce; si sit Archiepiscopus. Cætera omnia Episcopus celebrans servat, prout alii sacerdotes observare consueverunt, nempe juxta Rubricas Missalis.

CAPUT XXX.

Quo ritu Episcopus in locis suæ jurisdictionis Missam audiat. Liber Evangeliorum, finito Evangelio, ei osculandus defertur. Si adsint cum eo Prælati exteri, alique eo majores, liber primo osculandus defertur majori, vel digniori eorum. Si plures æquales fuerint, nulli deferatur. Qui ordo servandus in pace danda. Extra propriæ jurisdictionis loca Rubricæ Missalis ritus tantum adhibendus.

1. Episcopus præsens Missæ per alium celebratæ, juxta ea, quæ præscribuntur in Rubricis Missalis de Missa, quæ coram Episcopo celebratur, genuflectit super genuflexorio, sibi parato ante medium altaris, vel e regione in cornu Epistolæ, nisi aliud situs loci suadeat; et sic genuflexus, audit totam Missam, nec surgit, nisi cum dicitur Evange-

lium; quo finito, iterum genuflectit, et defertur ei liber Evangeliorum deosculandus per Capellanum, cotta indutum, qui Missæ assistit.

2. Et pariter post *Agnus Dei, etc.*, ab eodem offertur ei pacis instrumentum, quod Episcopus osculatur; semper tamen Capellanus, sive Evangelium, sive pacem deferens observet, ne ullam prius reverentiam faciat Episcopum versus, aut alios, quam librum, aut instrumentum pacis osculandum præbuerit.

3. Et si forte simul cum Episcopo adessent alii Prælati exteri, seu etiam ipso majores, ut Archiepiscopus, aut Cardinales, vel alii, de quibus in *Cap. xxiii. §. xxviii.* et *xxix.* dictum fuit, liber Evangelii dabitur osculandus semper majori, seu digniori omnium; et, si essent plures æquales, nulli ipsorum; nec ipse celebrans deosculatur. Pax vero primo digniori, deinde aliis, juxta ordinem et regulam in præcedenti *Cap. xxiv. Lib. i. §. iii.* traditam. Ad Offertorium Episcopus non benedicit aquam, nec in fine dabit benedictionem, sed celebrans, qui antequam in fine Missæ benedicat, faciet Episcopo profundam reverentiam.

4. Et hæc intelligantur, existente Episcopo in sua Diocesi, vel Archiepiscopo, aut Legato in sua Provincia, alias servabitur ordo Rubricarum Missalis.



CAPUT XXXI.

Qui ritus et cæremoniæ adhibeantur pro celebratione Synodi Provincialis, vel Diocesanae. Dies futurae Synodi denuntiandus intra Missarum solemnias in festo Epiphaniæ: Per duos, vel saltem unum mensem ante inchoationem, schedula indictionis affigatur valvis Ecclesiæ Metropolitanæ, et Cathedralis. Dies Synodi denuntietur etiam per tres proximiores Dominicas in ipsa Metropolitana a Concionatore, et in singulis Parochiis a Parochis, qui populum ad orationes, jejunia, perceptionem Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ, aliaque pia opera hortentur. Modus vivendi eorum, qui Concilio interfuturi sunt. Ecclesia ornanda solemniter et festivo ritu. Sedilia in Concilio Provinciali quomodo disponenda. Sedes Metropolitanæ, ubi collocanda. Quando item assideant, qui Synodo Diocesanae intersunt. Campanæ omnes civitatis ante diem Synodi, et ipsa die sequenti, quando et quomodo pulsandæ. Quæ paramenta sumenda ab iis, qui interesse debent, tam Concilio Provinciali, quam Diocesano. Cujus coloris esse debeant. Quo ritu ad Synodum procedatur. Missa ab Archiepiscopo, et Episcopo cantanda. Ordo sedendi et proferendi vota. Laudabile est, ut singulis quintis feriis, tempore Synodi, Missa de Spiritu sancto cantetur. Qui ministri in Conciliis deputandi. Quo ritu Concilium absolvatur.

1. In Synodo Provinciali, quæ a Patriarcha, Primate, vel Metropolitanò, ac etiam in Synodo Diocesana, quæ a proprio cujusque Diocesis Episcopo congregatur, nonnulli ritus et cæremoniæ sunt observandæ, ultra illas, quæ in Pontificali Romano sub Rubrica de ordine ad Concilium Provinciale, seu Synodum celebrandum, explicantur, quas juxta Sanctorum Patrum traditiones, diversorumque Conciliorum decreta, retineri maxime decet.

2. Omissis igitur his, quæ potius ad legem jurisdictionis Diocesanae pertinent, quam ad cæremonias, videlicet, quando, et quoties, tam Provinciales, quam Diocesanae Synodi indici debeant; quæ personæ convocandæ sint; quo anni tempore; qui in eis consultivum, vel decisivum votum habeant; quæ in his tractanda sint, et similia, quæ cum ex aliis, tum ex Sacro Tridentino Concilio, diversisque Sacrorum Canonum interpretibus intelligi possunt.

3. Primo erit advertendum, præsertim in Concilio Provinciali habendo, ut dies inchoationis hujusmodi Concilii per publica documenta, omnibus, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, denuntietur, et ut plenius divulgetur, in die Epiphaniæ, dum frequenti populo intra Missarum solemnias festivitates ejus anni solemniores denuntiantur, poterit loco suo inter ipsos dies festos pronuntiari et promulgari, tam in Ecclesia Metropolitana, quam in quibuscumque aliis Cathedralibus ei subjectis: et per duos, aut saltem unum mensem, ante dictam diem, schedula manu Notarii, seu Cancellarii subscripta, Ecclesiæ Cathedralis valvis affigi sub hujusmodi, aut simili tenore: *Concilium Provinciale, seu Synodus Diocesana N. per Reverendiss. Dominum D. N. Archiepiscopum, vel Episcopum N. indictum, vel indicta hoc anno, etc. mense, etc. die, etc. Deo adjuvante, in Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia inchoabitur.*

4. Rursus tribus proximis diebus Dominicis, ante dictam diem, conveniens erit, si tam in ipsa Ecclesia Metropolitana per concionatorem, quam in singulis Parochialibus per Parochos iterum atque iterum denuntietur, populique fideles ad devotionem, orationes, jejunia, sacramentum Pœnitentiæ, SS. Eucharistiæ sumptionem, aliaque pia opera adhortentur, ut actio hujusmodi, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium; felicemque, et fructuosum progressum et exitum habeat.

5. Illi vero, qui in ipso Concilio interfuturi sunt, mo-

neantur ut ea sedulo curent observari, quæ persancte præfatum Concilium Tridentinum in Sessione secunda salubri decreto statuit, nempe de modo vivendi, et aliis in Concilio servandis.

6. Cum autem prædicta Concilii dies appropinquaverit, ornabitur Ecclesia, ubi Synodus habenda est, festivo et solemni ritu, modo et forma in *Cap. xii. Lib. I. de ornatu Ecclesiæ contenta.*

7. Sedilia in ea disponentur; in Provincialibus quidem capacia pro numero Episcoporum, Abbatum, aliorumque ecclesiastica dignitate fulgentium; item pro Canonicis, ac etiam pro laicis, si qui interfuturi sunt.

8. Sedes Metropolitanæ collocabitur apud altare, ut in indicato Pontificali habetur; et ante faciem ipsius sedilia Episcoporum per gyrum; deinde conduplicatis sedilibus post Episcopos, cæteri proximiores, vel remotiores, pro graduum diversitate, ut mox dicitur.

9. In Diocesanis vero, quia non interveniunt Episcopi, disponentur Dignitates et Canonici Ecclesiæ Cathedralis parati hinc inde a lateribus Episcopi, vel ante Episcopum, semicirculum facientes.

10. Pridie ejus diei, qua Synodus inchoanda erit, debent campanæ Ecclesiæ Cathedralis aliarumque Ecclesiarum, in eadem civitate existentium, solemni ritu pulsari a primis Vesperis per totam diem, et ipsa die sequenti, quousque Archiepiscopus, vel Episcopus ingressus fuerit Ecclesiam.

11. Ipsa die inchoationis Concilii, summo mane, congregatis Episcopis et aliis, qui Concilio interesse debent, in domo ipsius Archiepiscopi, vel alio convenienti loco, Episcopi capiant sacra paramenta, hoc est, supra rochetum, amictum, pluvialia, et mitras auriphrygiatas uniformes; Archiepiscopus vero, Concilio præsidens, indutus erit amictu, alba, cingulo, stola et mitra pretiosa; Abbates benedicti pariter cum pluvialibus, et mitris simplicibus; Dignitates et Canonici pluvialibus, planetis et

dalmaticis, pro qualitate ordinis eorundem, ut dictum fuit *Cap. xv. Lib. I. §. vi.* Paramenta omnia erunt coloris rubri.

12. Ibunt autem omnes supplicantes psallentesque processionali modo; prout in Processionibus, quæ Litanie appellantur, ut suo loco dicitur, campanis et organo in Ecclesia continuo pulsatis ac resonantibus.

13. Quibus omnibus Ecclesiam ingressis, et ostensis, si ostendendæ erunt, Reliquiis, cantabitur Missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum, qui in ea utetur pallio, cum cæremoniis in *Cap. viii. Lib. II. explicatis*; vel, eo impedito, ab antiquiore ejusdem Provinciæ Episcopo; et si Festum erit Duplex, vel Dominica, sine commemoratione illorum, et sine Evangelio Dominicæ in fine.

14. Qua finita, non autem data benedictione, quæ datur in fine Sessionis semper, Archiepiscopus, depositis paramentis, Missæ propriis, usque ad tunicellam inclusive, et accepto pluviali, genuflexus ante altare super genuflexorio ibi parato, omnibus aliis etiam genuflectentibus, incipit Antiphonam *Exaudi, Domine, etc.*, deinde successive fiet prout in Pontificali Romano.

15. In Sessione vero, et ordine proferendi vota, observatum est, ut Episcopi procedant juxta ordinem eorum promotionis, nullo habito respectu ad dignitatem, vel præminentiam Ecclesiarum. Dignitates et Canonici Cathedralis Ecclesiæ, cum capitulariter procedunt, aut sunt, præferuntur cæteris omnibus; alias Abbates titulares, et habentes usum mitræ præcedunt, et post eos Commendatarii, deinde Dignitates, mox procuratores Capitulorum Ecclesiarum Cathedralium, deinde cæteri pro cujusque dignitate, et gradu, ut *Cap. xxiii. §. xix. Lib. I. de ordine thurificandi colligere licet.*

16. Eadem omnia fere observantur, quoties in Concilio habetur Sessio; non tamen necessaria est solemnis supplicatio, nisi prima vice, et si ultra tres sessiones fiant,

repetentur eadem Evangelia , quæ in Pontificali posita sunt.

17. Durante autem Concilio , decens est , ut singulis quintis feriis in Ecclesia Cathedrali cantetur Missa sollemnis de Spiritu Sancto ; ut in Concilio Tridentino eadem sessione secunda sancitum fuit.

18. Officiales quoque , et ministri necessarii deputandi sunt in hujusmodi Conciliis , veluti Notarii , Ostiarii , Magistri cæremoniarum , et alii , ut habetur in Concilio Toletano quarto , canone quarto.

19. In fine Concilii Provincialis , post ejus approbationem , dicto per Diaconum *Recedamus in pace* , et factis acclamationibus , omnes Episcopi surgentes , accedunt ad osculum pacis a Metropolitanò accipiendum , quod deinceps inter se dant et accipiunt , ut charitatem conjunctionemque animorum ostendant. Quod in dicto Concilio Toletano quarto similiter statutum legitur.

20. In Synodis autem Diocæsanis magis deceret , ut acclamationes et oscula pacis omitterentur.

FINIS LIBRI PRIMI.

CÆREMONIALIS

EPISCOPORUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Episcopus in crastinum Missam solemnem celebraturus , pridie Vesperas solemnes ipse peragat. Qui sint dies , quibus ab Episcopo Vesperarum solemnia sunt peragenda. Quo ordine ad Ecclesiam procedat. Quo loci Episcopi et Canonici parentur , et quibus paramentis induantur. Ritus incipiendi Vesperas , et præintonandi Antiphonas , et sedendi ad Psalmos. Capitulum a quo , ubi , et quomodo cantandum. Hymnus et Antiphona Cantici , a quo præintonentur. Incensum quomodo ministrandum. Quo ordine ad incensandum altare Episcopus procedat , et ab eo redeat. Quomodo , et a quo Episcopus incensetur. Quomodo item reliqui. Oratio quomodo dicenda. Quo ritu benedictio danda. Si Cardinalis præsens est , vel Metropolitanus , urbaniter benedictionem ab Episcopo dandam remittat. Paramenta , quando , et quo loci deponenda.

I. Sacræ solemnitates regulariter a primis Vesperis initium sumunt. Explicatis igitur in superiori Libro his , quæ ad divina Officia in Ecclesia præparanda pertinent , consequens est , ut de ipsis Vesperis nunc loquamur.